



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

1 An possit offerri pro alijs ab offerente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

DISPUTATIO LXXVIII.

De his pro quibus hoc sacrificium offerri potest.



N hac disputat. partim absoluemus ea quæ pertinent ad cognitionem causarum huius sacrificij, iuxta ea. quæ in principio disput. præcedentis notata sunt; partim viam parabimus ad declarandos effectus eiusdem sacrificij: nam eos causat, vel in his, qui offerunt, vel in his, pro quibus offertur. Dicemus ergo prius in communi de his, pro quibus offerri potest, deinde in particulari de viventibus & defunctis.

SECTIO I.

Utrum hoc sacrificium possit pro alijs ab offerentibus offerri.

U T collatur ambiguitas vocis, & sensus quaestio- nis intelligatur, aduertendum est, offerre pro aliquo dupliciter sumi posse. Primo, ut idem sit quod offerre vice seu nomine alterius, quomodo sumitur apud Paul. ad Hebr. 5. dicentem. Omnis Pontifex ex hominib. assumptus pro hominibus constituitur, & hoc modo dicitur sacerdos, pro omnib. his, qui cum illo, & per illum offerunt, etiam si illis specialiter non applicet fructum sacrificij, nunc aut non vtimur hæc voce, in hoc sensu: quia ex supra dictis satis constat, ad munus Sacerdotis pertinere, hoc modo pro alijs offerre. Alio igitur modo dicitur aliquis offerre pro alio: quando illi speciali intentione applicat fructum sacrificij: & ita sumitur in præsentibus, & est frequentior usus huius vocis, quia sacrificium non dicitur offerri pro alio, ratione sui: id est, ratione cultus: nam per sacrificium nõ datur cultus ei pro quo offertur, sed cui offertur: dicitur ergo pro aliquo offerri, solum ratione fructus, quatenus ei specialiter applicatur. Unde obiter infero, ex quatuor sacrificiorum rationibus quas supra distinxim, scilicet, honorarij, laudis, impetratori, & propitiatori, duas ultimas esse, sub quib. sacrificium potest pro aliquo offerri: nam in duab. primis non proprie locum habet huiusmodi habitudo. Nam, quando sacrificium offertur solum ad honorandum Deum propter id, quod est, & propter maiestatem suam, in hoc nulla importatur habitudo ad aliquem, pro quo sacrificium offertur, quia ibi nõ consideratur fructus sacrificij, sed tantum cultus. Nisi fortasse dicatur aliquis tunc offerre pro se, quia offert ad implendam obligationem, quam habet colendi & honorandi Deum: quod magis est habere rationem offerentis, quam eius, pro quo offertur: & ideo sub hac ratione non potest reuera sacrificium offerri pro alijs, quam offerentibus; quia illi soli per eum actum colunt Deum, & consequenter illi soli possunt implere obligationem, quam habent colendi Deum. Non enim potest vnus pro alio ita colere Deum, ut per hoc eum liberet obligatione colendi ipsum, ut principium suum: quia hæc est personalis obligatio, quæ non potest per alium impleri: sicut est obligatio amandi, credendi, & sperandi. Atque hoc ipsum dicendum est de sacrificio laudis, vel gratiarum actionis, ut sic; quia eadem est de illo ratio. Solum videtur posse excogitari discrimen, quia per sacrificium honorarium tendimus in Deum in se, & propter se: colimus enim illum, propter maiestatem suam, & quia est dominus omnium, & in eo sistimus: in sacrificio autem laudis, respicimus illum ut benefactorem, & gratias illi agimus pro beneficijs collatis. Unde fit, ut quodammodo dici possit offerri pro his, quib. illa beneficia collata sunt, pro quibus gratia Deo aguntur: sub qua ratione offerri potest, nõ solum pro offerentibus sed etiam pro alijs: quia non solum possumus Deo gratias agere pro beneficijs in nos collatis, sed etiam pro his, quæ alijs confert. Tamen, propter hanc solum causam

7. Ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: tum etiam, quia ad consecrationem nullo modo concurrunt fideles, sed solus Sacerdos: sacrificatio autem in consecratione consistit. Et augetur difficultas, quia interdum dicuntur offerentes hi, qui nullam actionem: neque internam, neque externam, circa sacrificium exercent: nam iuxta testimonia adducta vniuersa Ecclesia, & omnes fideles dicuntur offerre in singulis sacrificijs, & tamen non omnes habent aliquem actum etiam interiore, circa singula sacrificia.

Quare, quod in pactis, Ecclesia, & singuli fideles per sacrificium offerunt dicuntur.

In hac re considerandum est, hanc denominationem offerentium dupliciter posse fidelibus attribui: vno modo generalissima quadam ratione, solum quia sunt membra Ecclesia, cuius nomine Sacerdos offert. Secundo, speciali aliqua ratione, ac titulo. Priori modo potest dici, talis denominatio, aut extrinseca, aut habitualis, quia, ut argumentum factum concludit, non potest sumi ab aliquo concursu actuali interno vel externo. Denominatio autem extrinseca potest, in hunc modum declarari, scilicet, quia totum corpus Ecclesia, ut Sacerdotem offerentem includit, recte denominatur offerens, quia id præstat per membrum suum, quasi per instrumentum ad id deputatum, sicut humanum corpus (seruanda est enim proportio) operari dicitur, quod facit manus. Si autem Ecclesia consideretur, ut conditincta à Sacerdote, tanquam populus, inter quem, & Deum, Sacerdos intercedit, dicitur offerre per Sacerdotem denominatione quodammodo magis extrinseca, quatenus ille consecutus est, ut minister publicus ad præsentanda Deo totius Ecclesia munera: hæc ergo denominatio vtroque modo considerata ad singula membra Ecclesia extenditur magis adhuc improprie, quia sunt membra corporis, cuius publica auctoritate, & quasi communi consensu, Sacerdos deputatus est, ut sacrificium offerat vice totius corporis. Quamuis enim in corpore naturali actio vnus membri, quæ tribuitur toti, non proprie tribuatur alteri parti: non enim dicitur pes videre, licet homo videat, quia non singula membra sunt supposita actionum capacia: tamen in corpore mystico potest magis hæc denominatio extendi ad operandum, vel consecrandum. Unde etiam potest hæc denominatio habitualis, seu interpretatiua dici, nam hoc ipso, quod aliquis est fidelis, censetur consentire omnibus sacrificijs, quæ in Ecclesia fiunt, & virtualiter velle, ut suo etiam nomine offeratur, & quantum possit eorum fructum participare, hoc ergo modo intelligenda videtur hæc denominatio, quæ valde remota est, & generalis. Alio ergo modo potest hæc denominatio esse magis specialis, & sic requirit aliquem specialem concursum, non tantum internum, ut rationes supra factæ probant, sed etiam externum, qualis erit, petere aut procurare sacrificium, dare elemosinam, seu stipendium Sacerdoti, inferuire illi sacrificanti, vel denique assistere consentiendo ac moraliter cooperando: & hæc est magis propria denominatio offerentis, non tanquam principij per se ac immediatæ actionis sacrificandi, quod est proprium Sacerdotis, sed tanquam cooperantis aliquo modo ipsi Sacerdoti. Nam in moralibus, qui aliquo ex prædictis modis cooperatur actioni, potest ab illa denominari: sic enim dicitur homicida, qui consulit, vel comitatur homicidam, protegendo illum; sic ergo in præsentibus dicuntur offerentes, qui aliquo modo cooperantur exteriori oblationi. Unde fit, ut tanto perfectius hanc rationem participant, quanto, vel magis, vel pluribus modis cooperentur: & ita magis offert, qui in Missa ministrat, quam qui assistit, & sic de alijs. Et per hæc satisfactum est rationi dubitandi propositæ.

(?)

causam improprie diceretur sacrificium pro alio offerri: quia nihil per hoc ei confertur: imo neq; ab eo tollitur obligatio agendi gratias Deo pro beneficijs susceptis: quia haec etiam est personalis, & per se conveniens ac pertinens ad vniuscuiusque rectitudinem & honestatem. Hanc igitur duplex ratio sacrificij nihil ad praesentem considerationem & habitudinem spectat: Attamen sacrificium impetratorium & propitiatorium, ex intrinseca ratione sua dicunt intrinsecam habitudinem ad aliquem, pro quo offerantur: nam, qui petit, necesse est, vt alicui petat: & consequenter, si impetrat, pro aliquo seu alicui impetrare debet. Et similiter, qui satisfacit (quod ad sacrificium propitiatorium pertinet) necesse est, vt pro aliquo satisfaciatur, quia propitiatio necessario est inter duos: vnum, apud quem fit propitiatio: & alterum, pro quo fit. Denique sacrificium sub hac duplici ratione, fructum aliquem seu effectum habere potest, praeter ipsum cultum, & ideo sub his rationib; proprie offeritur pro aliquo.

1. Illatio.

Atque hinc constat primo, sacrificium hoc Eucharistiae posse pro aliquo offerri: quia constat ex dictis, sacrificium hoc, non tantum esse honorarium & laudis, sed etiam impetratorium, & propitiatorium: necessario ergo consequitur, posse pro aliquo offerri.

2. Illatio.

Secundo vterius manifestum est, hoc sacrificium posse pro ipsis offerentib; offerri: ita vt actio sit quasi immanens (vt sic dicam) & ad eam habeat offerens duplicem habitudinem: alteram agentis, alteram recipientis fructum oblationis, quod non est proprium huius sacrificij, sed ex generali ratione sacrificij consequitur: nam quilibet sacerdos, si impetratione aut propitiatione indigeat, potest, & debet pro se ipso offerri dicente Paulo ad Heb. 5. Et propterea debet, (scilicet sacerdos) quemadmodum pro populo, ita et pro semetipso offerre, p. peccatis, & c. 7. Talis debebat, vt nobis esset Pontif. sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior caelis factus: qui non habeat necessitatem quoridie (quemadmodum sacerdos) prius pro suis offerre, & deinde pro populo: possunt ergo sacerdotes pro se ipsis offerre. Et eadem ratione idem possunt reliqui offerentes sacerdote inferiores quia etiam ipsi indigent, & possunt pro se impetrare, vel satisfacere: & sunt magis priuati offerentes, quam sacerdotes. De principali autem offerente, qui est Christus, non est sermo, quia, vt Paulus dixit, nullam necessitatem habet, vt pro se offerat: de alijs vero, qui non offerunt, constat et ad praesentem quaestionem non pertinere: quia offerre pro aliquo, supponit offerre: & ideo, qui non offert, nec pro se, nec pro alio offerre potest, neque ad eum spectat, fructum sacrificij alicui applicare (quod est pro aliquo offerre) cum sacrificium ad ipsum non pertineat, neq; illius sit, quandoquidem illud non offert; illi autem, qui offerunt, sunt veluti domini suae oblationis, & ideo certum est maxime pro se ipsis offerre posse.

Hebr. 5.

Difficultas ergo superest, an etiam pro alijs a se offerre possint, quod primo inquiri potest de ipso sacerdote: deinde de alijs per ipsum, vel cum ipso offerentibus. Dico ergo tertio, Sacerdotem posse, hoc sacrificium pro alijs offerre. Est res omnino certa, quae tetigit D. Tho. supra qu. 79. art. 5. & 7. vbi in hoc sensu dicit, hoc differre inter mysterium Eucharistiae, vt sacramentum, & vt sacrificium: quod, vt sacramentum prodest tantum sumentibus: vt sacrificium vero etiam alijs, pro quibus offertur, & in hoc sensu explicat illa verba formae sanguinis: Qui pro vobis (id est, sumētib; & pro multis effundetur: id est, pro alijs, pro quibus offerri potest. Et hoc etiam confirmat communis vsus & sensus Ecclesiae, nam sacerdotes non solum pro se, sed etiam pro alijs, sacrificia offerunt: vnde & in Canonibus dicitur: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Probatur praeterea, quia hoc est intrinsece annexum sacerdotali muneri: nam, vt ait Paulus ad Heb. 5. Sacer-

Sacerdos pro alijs sacrificia re potest.

D. Thom.

Hebr. 5.

dos pro hominibus constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: non tantum suis, sed etiam populi, vt postea idem Apostolus explicat: & ita faciebant sacerdotes in lege veteri. Et in lege naturae obtulit sacrificia pro filijs. Ergo multo magis hoc potest facere sacerdos nouae legis: ergo & in ipsum sacrificium nouae legis de se ipsum est, vt pro alijs offeratur. Tandem id explicatur, quia sacerdos non solum pro se, sed pro alijs orare potest: & ad hunc finem oblationem suam referre, vt eis impetret: & similiter potest fructum satisfactionis eius alteri applicare: nam si vnus potest pro alio satisfacere, multo magis poterit sacerdos applicare alteri satisfactionis fructum ex sacrificio prouenientem. Quod si sermone extendamus etiam ad sacrificium laudis, etiam potest sacerdos offerre hoc sacrificium in gratiarum actione pro beneficijs collatis, vel vniuersae Ecclesiae, vel quibuscunque personis: sicut Melchisedech sacrificium obtulit pro victoria Abrahae concessa. Dices fieri non posse, vt hoc sacrificium profit alicui, nisi quatenus ipse offerens est: nam, vel deuotionem habet ad sacrificium, vel non: si habet, iam est offerens: si non habet, non potest ei oblatio ab altero applicata prodesse. Respondetur primum, etiam si aliquis sit vna ratione offerens pro se, & hoc titulo suum fructum habeat, etiam posse pro eo aliquid ultra offerri, quod est donatione alterius, vt quia assistit Missae debito modo, inde habet fructum suum per modum offerentis, quis nihil speciale ei sacerdos applicet: vltra quod fructum potest sacerdos aliquid amplius ei applicare, pro eo offerendo: sunt ergo haec duae habitudines distinguendae & notanda: pro his, quae de effectu huius sacrificij dicimus. Deinde respondetur insufficientem esse illud Dilemma. Nam fieri potest, vt aliquis sit bene dispositus, vt pro eo possit fructuose offerri sacrificium, quamuis nullo modo offerat concurrente ad ipsum sacrificium, vt per se clarum est, & conuincitur magis ex dicendis.

Hinc vero obiter colligendum & annotandum est, sacrificium solum posse pro alio offerri iuxta capacitatem illius, quia ineptum est operari velle in subiecto incapaci, aut dare sanctum canibus, aut sacramentum indispolito, aut orare pro eo, cui prodesse non possit oratio: verbi gratia, damnato: sic ergo ineptum est, & contra rationem, sacrificium offerre, pro eo, qui est incapax fructus eius. Vnde vterius intelligitur: si sacrificium pro multis in communi offeratur, qui non sint omnes eodem modo capaces effectus eius, ita interpretandum esse huiusmodi oblationem, & offerentis intentionem, vt pro vno quoque iuxta capacitatem suam offeratur: id est, vt vnus proficit ad hunc effectum, alteri ad alium, &c. Ratio est clara, quia offerentis intentio, quando aliud ab ipso non exprimitur, honesta & licita existimanda est: ad hoc autem necesse est, eam praedicto modo interpretari.

Vltimo dicendum est, non solum sacerdotem, sed etiam quemlibet aliud offerentem, posse pro alio sacrificium offerre eo modo, quo ad ipsum spectat, & a quo ab ipso offerri potest. Probat ex illis generalibus ab ipso offerri potest pro alio orare, & impetrare: & in hunc finem potest opera pietatis facere: ergo etiam potest sacrificium impetratorium offerre. Simile est, quod vnusquisque potest satisfacere pro alio, satisfactionem suam ei applicando: ergo eadem ratione potest suum sacrificium propitiarium alteri applicare, quoad fructum satisfactionis, quod est pro illo offerre. Tandem, quia non repugnat ex natura sacrificij, quod omnis, qui offert eo modo, quo offert, possit pro quocunque offerre fructum, cuius alter est capax, eique applicari potest: neque etiam repugnat ex ratione talis sacrificij, aut ex speciali aliqua prohibitione, nulla enim talis ostenditur: non est ergo, cur negetur haec potestas omnibus offerentibus. Sed, vt hoc melius intelligatur, oportet distinguere

in hoc sacrificio duplicem fructum. Vnus est ex opere operantis; & de hoc sunt certa omnia dicta, quantum ad fructum impetrationis & satisfactionis, qui de se aliis communicabilis est: unde etiam in lege veteri & naturæ suo modo locum habent; quia etiam illi temporibus esse poterat, inter fideles & Ecclesiam membra, bonorum operum communicatio, quoad prædictos fructus. Alius fructus est ex opere operato, & quoad hunc est nonnulla difficultas, quam tractabimus disputatione sequenti.

SECTIO II.

Utrum sacrificium Missæ debeat, vel possit, pro omnibus hominibus modo viventibus offerri.

Ex hominibus viatoribus & in hac vita degentibus, quidam sunt infideles: alij fideles, vel baptizati, vel catechumeni: alij adulti, alij infantes: alij iusti, alij peccatores, & inter hos, quidam ab Ecclesia tolerati, alij vero quodammodo separati, & excommunicati. Et similiter inter infideles, quidam sunt Ecclesiæ jurisdictioni subiecti, & consequenter eius censuris ligati, vt apostata & fide, quam in Baptismo professi fuerunt: alij vero omnino sunt extra spirituales & directam jurisdictionem Ecclesiæ, qui eius censuris non ligantur, vt Iudei, & reliqui omnes non baptizati: de his ergo omnibus definiendum est proposita quaestio. In qua considerari potest, quid ex natura rei liceat, sedula positiua prohibitione, quid vero, aut ex Christi institutione, aut ex Ecclesiæ ordinatione liceat, vel prohibuitur sit: ac denique, quid possit absolute fieri, ita vt factum teneat, siue licite, siue illicite fiat.

Quodlibet. Dico primo: Quodlibet Missæ sacrificium offerendum aliquo modo est pro vniuersa militante Ecclesia, & omnibus membris eius: id est, pro baptizatis viventibus, qui, nec per infidelitatem, nec per excommunicationem sunt ab ea, eiusque communicatione seiuñcti. Conclusio est communis auctorum omnium, quos statim referemus, specialiter vero circa illam legi potest Scotus, quodlib. 20. & Gabriel. lect. 20. & 27. in Can. & colligitur ex cap. Vistum, de consec. dist. 1. ex Conc. Cabil. II. cap. 39. in verbis illis: Nulla dies excipitur, in qua non pro viventibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: & loquitur de deprecatione, qua fit in sacrificio Missæ. Con. item

Comil. Trid. Trid. sess. 22. cap. 2. & can. 3. simpliciter definit, sacrificium hoc debere pro viuus offerri. Præterea ex vsu ipsi & verbis Ecclesiæ hoc constat: nam in Missa imprimis fit oblatio pro vniuersa Ecclesia: signum ergo est, ita esse ab Ecclesia institutum. Quæ institutio, & supponit potestatem ex parte ministrorum, & aptitudinem ac sufficientiã ex parte sacrificij, & præterea obligationem inducit ita faciendi, nam sacerdotes tenentur, ritum Ecclesiæ sacrificando seruare, & hæc est ratio à priori huius obligationis. Ratio autem potestatis ex parte sacerdotis sumitur ex munere eius, quia est mediator & intercessor apud Deum pro vniuersa Ecclesia. Ratio denique sufficientiæ ex parte sacrificij est, vel infinitas eius, vel certe, quod est veluti commune bonum totius Ecclesiæ, quod omnium nomine offerri potest.

Quæstio. Sed quaeres, quisnam fructus ex hac generali obligatione, & vniuersæ Ecclesiæ, & singulis eius membris proueniat, eivse applicari debeat? Multi enim existimant, applicandum esse singulis aliquem fructum ex opere operato. Sed, licet verum sit, posse sacerdotem, si velit, hoc facere, subintellecta conditione supra indicata, nempe, si ex parte eorum impedimentum non sit, vel quatenus ipsi fuerint capaces: quod tamen ita ex obligatione fieri debeat, mihi nec videtur verisimile, nec sufficiente fundamento affirmari. Existimo ergo, non teneri sacerdotes, quotiescunq; sacrificant, aliquem fructum ex opere operato, Fr. Suarez Tom. 3.

præsertim satisfactionis, singulis fidelibus applicare: quia neque iure diuino ad hoc tenentur, neq; ex præcepto Ecclesiæ: quia neutrum horum scriptum est, aut traditione habetur: neque etiam ex ritu Missæ, vel omnibus verbis, quæ in canone, vel oblationibus eius dicuntur, id colligi potest: nam, vt fiat vniuersalis oblatio, satis est quod deprecatio sit vniuersalis: & quod ad efficaciam impetrationis sacrificium offeratur: nam alias, cum fructus satisfactionis definitus sit, vix aliqui superesset, quod pro aliquo in speciali applicari posset, de quo latius dicemus disputatione sequente.

Sed quaeri rursus potest, an possit Sacerdos aliquem excludere ab hac generali oblatione. Respondetur, grauius peccare, vel propter scandalum, si publice id faciat, vel propter odium formale, aut virtuale: dicitur autem, licet non teneatur ex charitate pro singulis oblatio, tenemur tamen eos à communibus orationibus non excludere, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 35. art. 8. & 9. & tractat Nauarr. lib. de orat. ca. 19. num. 120. Vel denique, quia agit contra Ecclesiæ institutionem & intentionem, cuius minister & legatus est ipse Sacerdos. An vero factum teneat, quamuis illicite fiat, nonnullam difficultatem habere videtur: hinc enim apparet, fructum non applicari, nisi per intentionem ministri operantis: & ideo, si ipse aliquem excludit, videtur fieri, vt ille sine fructu maneat, quia per intentionem ministri ei non applicatur: quamuis in hoc minister peccet. Sicut relinquatur aliquis absque sacramento, si minister non habuit intentionem faciendi illud, quamuis in hoc peccauerit. Aliunde vero videtur non tenere factum: quia oblatio, & oratio Ecclesiæ generalis est ex intentione & verbis Ecclesiæ: & ideo hoc ipso, quod minister in persona Ecclesiæ & verba eius orat, non videtur habere potestatem ad excludendum aliquem. Et hoc quidem posteriorius verum est, quantum ad fructum, qui prouenire potest ex parte Ecclesiæ impetrantis, & offerentis, illud autem prius procedit de fructu, qui prouenire potest, vel absolute ex opere operato, vel ex priuata intercessione Sacerdotis.

Supereff vero difficultas circa conclusionem ita vniuersæ propositam, nã infantes baptizati in eommero comprehenduntur, & tamẽ non potest pro eis sacrificij offerri: quia non sunt capaces alicuius fructus eius: itẽ comprehenduntur existentes in peccato mortali, qui videtur indigni, vt pro eis offeratur. Tãdem in Concilio Elibert. cap. 29. prohibemur offerre pro energumenis, seu vexatis à dæmone, & tamen in prædicta conclusione comprehenduntur. Respondetur, infantes esse incapaces fructus ex opere operato, non tamẽ impetrationis, vt per se constat, & hoc satis esse, vt pro eis possit sacrificij offerri, vt ex dictis patet, & colligi potest à simili ex Clem. I. 8. constitut. ca. 10. Atque idem est de existentibus in peccato mortali: potest enim pro eis offerri, vt conuertantur, & à Deo bene disponantur. De energumenis autem certum est, excludi non debere, nam in primis illa nõ est culpa, sed poena: qua non oblata, digni esse possunt, & capaces fructus, etiam ex opere operato. Deinde potest eis impetrari, vt ab illamet dæmonis vexatione liberentur, vt patet etiam ex Clem. dicto li. 8. c. 8. Canon autẽ ille Concilij Elibertini difficilis est ad explicandum: quo sc. sensu & qua ratione editus fuerit: sed in primis ibi non dicitur, huiusmodi energumenos excludendos esse à generali oblatione, sed solum, he illorum nomina ad altare cum oblatione recitentur: quod forte tunc fiebat aliqua publica oratione, & propter decentiam, vel propter vitandum scandalum, eo tempore & loco visum est expedire, vt huiusmodi homines non nominarentur publice in altari. Vel certe intelligendus est ille canon de energumenis, quod propter publica peccata traditi erant potestati dæmonis: nam de aliis statim can. 37. dicitur, non esse illis negandam communionem, cur ergo diceret eis ne-

Qui fructus toti ecclesie respondeat, ex quolibet sacrificio.

Qualiquis a communi oblatione excluditur, si peccat.

Qui fructus sic exercitum comparat.

Qui fructus infantibus ex generali oblatione prouenire possit.

Quis, qui leuatis peccato ligantur.

Qui energumeni.

Clem. Rom.

